DE

FIDEI ET SCIENTIAE

DISCRIMINE ET CONSORTIO

JUXTA MENTEM

HUGONIS A SANCTO VICTORE.

SCRIPSIT

JOHANNES HETTWER.

VRATISLAVIAE,
APUD G. P. ADERHOLZ.
MCCCDLXXV.

DE
FIDEI ET SCIENTIAE
DISCRIMINE ET CONSORTIO
JUXTA MENTEM
HUGONIS A SANCTO VICTORE.

COMMENTATIONIS A REVERENDISSIMO
ORDINE THEOLOGORUM CATHOLICORUM IN UNIVERSITATE
LITTERARUM VIADRINA A. MDCCCLXXIV PRAEMIO
REGIO ORNATAE

PARTICULA PRIOR.

SCRIPSIT

JOHANNES HETTWER.

VRATISLAVIAE,
APUD G. P. ADERHOLZ.
MDCCCLXXV.

PIE CONGRATULATURUS

D. D. D.

JOHANNES HETTWER,
CONVICTORII THEOLOGICI ALUMNUS.

Prooemium.

Biennio fere ante, quum a Reverendissimo Ordine Theologorum Catholicorum in Universitate Litterarum Vratislaviensi quaestio litteraria esset proposita:

„De fidei et scientiae discrimine et consortio quaenam fuerit Hugonis de Sancto Victore nuncupati doctrina, inquiratur, necnon universa ejusdem theologia speculativa adumbretur ex fontibus genuinis accurate haurienda"
primum ad Hugonis libros animum appulimus neque ipsos absoluta quaestione dereliquimus singulari suavitate ac pietate doctrinae abrepti, quod omnes aeque, qui ipsum perlegerint, uno animi consensu profitentur.

Inde jam pridem in votis habuimus, quos ex illis antiquitatis monumentis percepimus fructus, cum aliis communicare, ut amoris erga ipsum nancisceremur

socios, praesertim quum iis quoque, qui non a nostris stant partibus, adeo arrideat, ut tanquam suum arripere, si concederetur, summopere optent.

Quod vero nunquam sperare ausi eramus, opinione citius assecuti sumus idque eo die, quem peractis feliciter quinquaginta sacerdotii annis et universa dioecesis Vratislaviensis celebrat acceptissimum atque faustissimum et nosmetipsos, quibus Reverendissimi Principis et Antistitis summis auspiciis et liberalitate est datum, studiorum nostrorum cursum tenére, singulari prosequi solemnitate decet.

Occasionem ergo felicissimam nacti, ut studiorum primitiae in lucem prodirent, illud etiam silentio praeterire non possumus, quod Illustrissimum et Reverendissimum Capitulum Ecclesiae Cathedralis ad Sanctum Joannem Baptistam summa liberalitate ac munificentia edendi libelli copiam fecit, cui publice grato animo gratias agere debemus.

Scribebam Vratislaviae die XXII. m. Martii
a. MDCCCLXXV.

Index.

I.

Pag.

De Hugonis a Sancto Victore nuncupati vita et auctoritate.

II.

I.

De Hugonis a Sancto Victore nuncupati vita et auctoritate.

§. 1.

Controversia de ipsius patria.

Quod interdum accidit de clarorum virorum patria et vita historiam consulenti, etiam de Hugone nostro valet, cujus quidem multi insigne celebrant ingenium summisque laudibus omnes ad unum efferunt vitae humilitatem et librorum, quos confecit, auctoritatem, patriam vero et ortum diversis modis enarrant, quos paucis examinare in animo est.

Inter duas tantum traditiones serio distinguendum est, quum alteri ipsum in Saxonia, alteri in Flandria (in territorio Yprensi) natum esse ferant, quamquam Garzonius Canonicus Lateranensis in editione operum, quam curavit, suum arripere temere est ausus, a quo abhorret Hartmannus Schedelius (Chron. p. 228), qui Francogallum ipsum tradit [1]).

Qui Flandriam ipsius patriam fuisse asserunt, rationibus quidem adjuvantur haud levibus, quum Mabillon[2]) secundum codicem Aquicinctensem in Yprensi territorio ortum praedicet, ad quod argumentum alium exhibet testem, qui haud multo post Hugonem scripsit, Robertum de Torinnejo, Abbatem in monte Sancti Michaelis (de immut. Ord. Mon. c. 5.), qui Hugonem Lothariensem nuncupat, Lotharii regno large sumpto, ut

[1]) cf. Prolegomena editionis operum, quam Migne Parisiis curavit.
[2]) cf. Histoire littéraire de la France t. XII, ab initio.

territorium Iprense, quoniam conterminum erat, ipsi tribueret. Ad quae argumentorum genera gravissima censent ipsa Hugonis verba: „Ego a puero exulavi et scio, quo moerore animus arctum aliquando pauperis tugurii fundum deserat, qua libertate postea marmoreos lares et tecta laqueata despiciat [1]).“ Illud namque constat, ipsum duodeviginti annos natum ex Saxonia, ubi educatus est, in Francogalliam venisse, ut recte se concludere putent, Saxoniam Hugoni exilium, non patriam fuisse. Accuratius vero rem consideranti istorum sententia haud placebit. Nam non solum aequiparant, sed superant auctoritates, qui Saxonia oriundum contendunt, quas paucis antea recensebimus, quam secundum ipsas vitam describamus.

Atque primum Albericus monachus (in Chronicis ad annum 1134) Hugonem Saxonem dicit, quocum consentit anonymus Gemeticensis [2]), quum sub Gilduini regimine multos clericos nobiles saecularibus et divinis libris instructos ad istum locum (sc. S. Victoris) habitaturos convenisse dicat, inter quos Hugo Lothariensis sic dictus a confinio Saxoniae, et scientia litterarum et humili religione maxime effloruit.

Idem tradit Joannes de S. Victore [3]): „Hugo fuit Saxonicus genere et ortu, praepotenti parentela etc.“ Accedit auctor vitae Hugonis: „Hugo de S. Victore illustri apud Saxones genere ortus“ et epitaphium incipiens a verbis: „Hugo sub hoc saxo jacuit, vir origine Saxo [4]).“

In eandem abeunt sententiam Meibomius [5]) et J. Winnigstadius, qui indefesse scrutatus est antiquitates Saxonicas, Halberstadensis in primis dioeceseos, et alii multi velut Rolewinkius, Hermannus Cornerus, Trithemius, Paulus Langius; ea denique est sententia communis recentiorum nostrorum pariter exterorumque, in quibus praesertim Christ. Godofr. Derlingus enitet [6]), quem prae ceteris prolegomena editionis a Migne curatae sequuntur, quibus accedere commovemur rationum auctoritate.

---

1) Eruditionum didascalicarum libr. III, c. 20.
2) cf. editio operum Hugonis a. 1648.
3) Saeculo quarto decimo in Memor. histor. ad a. 1117.
4) Hist. litt. d. l. Fr. t. XII, p. 6.
5) Rer. German. t. III, pag. 427—432.
6) Dissertatio de Hugone a S. Victore Helmst. 1745.

§. 2.

Ipsius vita.

Saxonia ergo Hugonem nostrum, quem Hermannum etiam vel Heymonem tradunt manuscripta, protulit nobilissimi generis comitum Blankenburgensium prolem, illis temporibus ad silvam Hartzicam florentis, anno 1096, cum Reinhardus, ejus avunculus, Guilelmi a Campellis discipulus dioecesin Halberstadensem regeret. Qui quum egregiis ingenii facultatibus uteretur, a parentibus puerili adhuc aetate canonicis regularibus Sancti Augustini, qui a Reinhardo convocati scholae Hamerslebiensi ad Sanctum Pancratium praeerant, est traditus, ut artium litterarumque studio imbueretur, ubi egregiae eruditionis ac doctrinae jecit fundamenta, ut juventutis studiorum recordatus dicere posset: „Ego affirmare audeo, nihil me unquam, quod ad eruditionem pertinet, contempsisse, sed multa saepe didicisse quae aliis joco aut deliramento similia viderentur. Memini, me dum adhuc scholasticus essem, elaborasse, ut omnium rerum oculis subjectarum aut in usum venientium vocabula scirem perpendens libere, rerum naturam illum prosequi non posse, qui earundem nomina adhuc ignoraret. Quoties sophismatum meorum, quae gratia brevitatis una vel duabus in pagina dictionibus signaveram, a memet ipso quotidianum exegi debitum, ut etiam sententiarum, quaestionum et oppositionum omnium, quas didiceram, et solutiones memoriter tenerem et numerum. Causas saepe informavi et dispositiones ad invicem controversiis, quod rhetoris, quod oratoris, quod sophistae otium esset diligenter distinxi. Calculos in numerum posui et nigris pavimentum carbonibus depinxi et ipso exemplo oculis subjecto, quae amphigonii, quae octogonii, quae oxigonii differentia esset, patenter demonstravi, utrumne quadratum aequilaterum duobus in se lateribus multiplicatis ambadum impleret utrobique procurrente podismo didici. Saepe nocturnus horoscopus ad hiberna pervigilia excubavi. Saepe ad numerum protensum in ligno Magadan ducere solebam, ut et vocum differentiam aure perciperem et animum pariter meli dulcedine oblectarem [1])."

Invitis parentibus quum decimum octavum aetatis annum attigisset, mundi fugam meditari coepit et novitius factus tunc

[1]) Erud. did. lib. VI. c. 3.

jam scripsisse fertur, donec propter bellum, quod totam paene Saxoniam sub Henrico quarto vastaverat, abire cogeretur una cum Hugone patruo Halberstadensis ecclesiae archidiacono. A Reinhardo episcopo commoti Sancti Victoris aedem petiverunt. Patria relicta primum Flandriam [1]) attigisse videntur, unde posteri ipsum inde oriundum tradiderunt, deinde Massiliam ad monasterium S. Victoris profecti precibus ibi profusis et dono acceptis clarissimi martyris pignoribus, Lutetiam Parisiorum advolarunt, ubi exciti nascentis domus Sti Victoris fama propter eruditorum virorum, qui in eo vivebant, copiam in manus Gilduini abbatis vota emittunt sanctique Augustini regulam profitentur decimo septimo Junii die anno Domini millesimo centesimo decimo quinto.

Scholae a Guilelmo a Campellis a. 1108 institutae tunc post conditorem Thomas praefectus erat, cui Hugo post aliquot tempus confirmata votorum emissione in philosophicis primum monasterii scholis, deinde etiam in theologicis succedebat magister, quarum uberes fructus plaudentium omnium, qui hunc magistrum audierant, approbatio brevi testata est.

Atque hanc studiorum rationem tanto amplexus erat amoris affectu, ut totus litteris et monasticis institutionibus deditus, nullum ne quidem prioris munus exercuerit [2]).

De vitae ratione, quam in monasterio secutus est, silet historia.

Mortuus etiam viget in scriptis. Saeculi enim fluctibus abstinuit, quamquam ad ea quoque animum advertit, quae extra monasterii muros peccabantur, quod testatur epistola ad Joannem archiepiscopum Hispaliensem (nunc Sevilla) data, quem quum christianam religionem ore abnegasset, obsecrat, ut redeat et oris confessione crucem sequatur salutiferam.

Brevi admodum temporis spatio interjecto de vita discessit tertio Idus Februarii, hora tertia anni 1140, quadraginta quatuor annos natus corpore infirmo studiis confecto pius et mansuetus in confessione summae Trinitatis. Egregiam vitam mors sancta secuta est, cujus quidem rei testis est epistola Osberti, praefectus valetudinarii, ad Joannem Hugonis discipulum data, ex qua pauca saltem decerpamus:

---

[1]) cf. Chronic. Saxon. Migne Proleg. p. XLII.

[2]) cf. vita Hugonis in editione a. 1648.

Pridie quam de hac vita transiret, quaesivi ab ipso, quomodo se haberet et ille, bene sibi fore in anima et in corpore respondit et quum audisset, Osbertum celebrasse missam: „Accede, inquit, et insuffla in faciem meam in modum sanctae crucis et accipiam Spiritum sanctum.“ (O virum per omnia catholicum, qui jam in extremis positus a sacerdote propter mysterium et communionem Dominici corporis et sanguinis posse sibi Spiritum sanctum dari fideliter credidit et tam devote expetiit [1]).

Tunc statim exhilaratus, credo Spiritu Dei confortatus, in haec verba laetabundus erupit: „Modo, inquit, securus sum, nunc in veritate et puritate ambulo, modo fundatus sum supra firmam petram et non possum moveri amplius, nunc licet totus mundus cum delectationibus suis veniret coram me, quasi pro nihilo ipsum reputarem nec pro ipso toto aliquid contra Deum facerem. Modo praecipue cognosco misericordiam Dei circa me, ita, ut de omnibus, quae fecit mihi Deus in tota vita mea usque ad hanc diem, nihil horum tam gratum, tam suave, tam acceptum mihi esse possit, quam hoc, quod in praesenti mecum facere Deus dignatus est. Benedictus Dominus meus in aeternum.“ His dictis humiliter petiit, ut absolverem ab omnibus, quae contra Deum fecerat.

Proximà vero sequenti nocte circa galli cantum coepit graviter et magis solito infirmari, at occurenti mihi ad eum statim ut loqui coeperat, de salute animae suae locutus est. . . . Quum jam dies illuxissèt et multi venerabiles religiosi, monachi, canonici regulares et presbyteri, laicorum etiam copia convenisset, celebrata unctione quaesivi ab ipso, si vellet accipere corpus Domini (nudius tertius communicaverat). At ille magna cum increpatione respondit mihi: „Deus meus! Quaeris si velim Deum meum? curre cito in ecclesiam et affer cito corpus Domini mei.“ . . . Veni ante lectum ejus et tenens panem sanctum vitae aeternae in manibus: „Adora, inquio, et cognosce corpus Domini nostri!“ Ille vero erigens se, quantum valebat et extollens utrasque manus ad sancta illa: „Adoro, inquit, coram omnibus vobis Dominum meum et accipio ut salutem meam.“ Deinde post comestionem corporis Jesu, accepit

[1]) cf. epist. Osberti ibidem.

crucem ibi praesentem, quam petierat, in manus et signavit se cum eadem cruce et postquam multum devote osculatus est eam, accepit pedes crucifixi in os suum et sic diu tenens pedes in ore suo sanguinem, qui de pedibus arte pictoris manare videbatur, quasi infans ad ubera matris obortis lacrimis suxit.

Ab Osberto postea monitus in verba prorupit: „In manu et in fortitudine tua commendo spiritum, Domine, quem tradidisti mihi et a te accepi.“ Quo dicto siluit et irruente hora mortis, ad modicum loqui non valens, iterum rediit et resumpto spiritu nescio quid dicere secum coepit et cum quaesivissem ab ipso, quid diceret, aperta voce respondit et ait: „Consecutus sum.“ Et ego: „Quid, inquam, consecutus es?“ at ille prae nimia augustia plena verba proferre non potuit et cum iterum interrogaretur, in quantum intelligere potuimus, qui circa eum stetimus, hoc respondit: „Accipiet, inquit, spiritum meum.“ Deinde propria manu pectus tundens invocavit beatam Deigenitricem, sanctum Petrum et sanctum Victorem.

Quibus dictis, siluit et os justi clausum est, quod sapientiam parturire consueverat et lingua sapientis, quam melius secundum scientiam ornaverat, faucibus haesit. Post haec quasi per spatium unius horae vixit et sic astantibus et orantibus fratribus reddidit spiritum in manus ejus cui illum dudum tradiderat.

Sepultum in ingressu monasterii ornavit Simon hoc epitaphio:

Conditur hoc tumulo doctor celeberrimus Hugo
Quem brevis eximium continet urna virum
Dogmate praecipuus nullique secundus in orbe,
Claruit ingenio, moribus, ore, stilo.

Cum vero a. 1325 comes Carolus Valesius, ipsius intercessione ab Joanne Aquila presbytero implorata, a gravi infirmitate esset liberatus, a. 1335 permittente Benedicto XII. corpus Hugonis e claustro pone altare majus est translatum.

§. 3.

De ipsius ingenio et singulari auctoritate.

Ex operum, quae exstant, multitudine, quum ad fidem et mores tum ad interpretandos libros sacros litterasque saeculares spectantium, si quis concludere in animo haberet, longum ipsi vitae spatium tribueret. Verum, ut Thomas Cantipratensis tradit (L. II. Apum c. 16 n. 7) carnem tenerrimam habuit et

nimis a pueritia delicatam, unde etiam disciplinas in secreto vel in Capitulo cum aliis pro quotidianis excessibus non accepit. De animi vero egregiis facultatibus ipsum audiamus humiliter Deo gratias agentem[1]): „Tu dedisti mihi sensum capacem, intellectum facilem, memoriam tenacem, linguam disertam, sermonem gratum, doctrinam suasilem, efficaciam in opere, gratiam in conversatione, provectum in studiis, effectum in coeptis, solamen in adversis, cautelam in prosperis."

Quod testantur ipsius scripta, in quae, ut ita dicam, penitus se effudit. Quemadmodum enim vixit, ita et scripsit. Quum enim in ipso quam ratio et intelligentia, tam sensus et affectus intime essent conjuncta, ut neque ratio neque affectus praevaleret, sed utrumque optime concineret, etiam libri, quos confecit, abundant veritatis lumine et amoris divini ardore. Hinc nobis arridet altitudo et profunditas veritatis, hinc suavitas et ardor caritatis, ut non desideres perspicuitatem et planitatem sermonis neque requiras divinam paene sapientiam miramque eruditionem, ut nulli secundus putaretur in orbe. Mox ascendit acumine mentis, ut audias discipulum sancto Augustino aemulantem, mox incedit sermone simplici et plano, qui docet populum rudem litterarumque plane expertem. Jam miraris mentis volatum, quo ad coelum tendere videtur, jam humilitatem et insignem modestiam, ne frustra divina scrutetur, ut paucis comprehendam, interdum solito incedit sermone et quaerit et solvit et concludit more scholastico[2]), interdum meditatur et contemplatione intuetur mysteria divina absque humano sensu, quasi non jam per speculum et aenigmatice, sed facie ad faciem vidisset, quae homines non vident, dum hac vescuntur vita, sed soli angeli in praesentia Dei constituti humili devotione et pia reverentia adorant.

Quae quidem non esset adeptus nisi mirum quantum omnibus

[1]) De arrha animae.

[2]) Omnes enim, quae tunc erant theologicae disciplinae singulari quodam modo una cum saecularis scientiae peritia in ipso simul currebant pro ejus indole et ingenio, unde summa apud omnes laus et auctoritas ducenda videtur quippe quum par conjuncta esset vitae castimonia atque pietatis affectus, quae adeo arrident omnium animis, ut quanto quis amplius in ipsius versetur scriptis, magis etiam amoris effectu erga ipsum exardescat.—

litteris, quae tunc tradebantur, imbutus humili et pia devotione ad illum confugisset, qui est via, veritas et vita. Apud Hugonem enim scientia non est mortua, non est superba, non est arida, sed praeclaros virtutis ac sanctitatis in se continet fructus. Veritas enim et virtus sunt sola, quae cupit, unica, quae amando sectatur et adeptus esse videtur. In ipso enim refulget mira quaedam quum scientiarum tum theologiae diversarum disciplinarum et generum interdum tunc discrepantium harmonia et concentus, unde et aequales et posteri summis eum laudibus efferre non cessant.

§. 4.
Judicia veterum de Hugone.

Alter Augustinus seu lingua vel anima Augustini ab ipsis praedicatur, quod quidem nomen, si insignem, quam ejus dictis tribuit auctoritatem, respicis, quum ipsum prae primis sequatur vestigiis ipsius ubique inhaerendo haud immerito ipsi concedi fas est. Didascalum per eminentiam vocabant, sancti Thomas et Bonaventura, Scotus et alii doctores e schola[1]) suarum sententiarum fautorem saepius laudant et patronum sequuntur, scriptores variis celebrant laudibus, quorum unum tantum citamus Jacobum de Vitriaco Cardinalem[2]): „Inter canonicos Sancti Victoris nominatissimus et praecipuus exstitit citharista Domini, organum Spiritus sancti, M. Hugo de Sancto Victore dictus, qui malogranata tintinnabulis conjungens exemplo sanctae conversationis multos ad honestatem excitavit et melliflua doctrina ad scientiam erudivit, multos autem aquarum viventium puteos effodiens libris suis, quos de fide et moribus tam subtiliter quam suaviter disserendo edidit. Incerta et occulta divinae sapientiae pluribus aperuit immortalem sui gloriam velut compositionem odoris et opus pigmentarii et in omnium ore quasi mel dulcoratum velut musicum in convivio vini et tanquam naves poma ferentes posteris relinquendo.“

Atque haec insignis laudis documenta multiplicari possent nullo adhibito labore, sed ne nimis longi simus, paucis tantum

---

1) cf. Vita Hugonis et testimonia in editionibus impressa.

2) Hist. Occid. II., 24.

adumbrabimus auctoritatem ipsius in scholis, in primis Victorinorum, ubi Richardus et Waltherus prae ceteris vestigia Hugonis prosecuti ejus doctrinam ad quandam perfectionis formam adduxerunt, donec saeculo decimo tertio s. Bonaventura ipsam amplexus, corrigeret interdum et amplificaret, ut etiam post reformationem, quae dicitur, Hugonis scripta theologica magnae apud omnes theologos et verbi divini praecones auctoritatis exstarent[1]). Quod testantur etiam iteratae operum ipsius editiones tum generales tum speciales, quamquam critici per saepe egent judicio, quum multa Hugoni attribuantur, quae vel plane ab ipso abjudicanda sunt vel dubiae auctoritatis[2]). Verum ibi dum preciosum a vili judicio recto separatum fuerit, velut os Domini Hugo Victorinus erit.

II.

De fidei et scientiae discrimine et consortio juxta mentem Hugonis.

Propter insignem locum, quem obtinet inter suae aetatis theologos et auctoritatem apud posteros, quum primus Hugo tum saeculari scientia tum divina aeque instructus theologiae genera reconciliare et in systema redigere conatus esset, gravissimi momenti est quaestio de mutuo fidei et scientiae consortio et discrimine, jam antiquitus a patribus jactata et a theologis et philosophis omnium saeculorum disceptata, quoniam ibi systematis et theologiae sanitas tanquam in fundamento est posita, quo quassato vel everso totum aedificium corruat necesse est. Ibi enim si errores inducuntur, postremo pro veritate vana et inanis opinio, quae a sana ecclesiae doctrina

[1]) cf. Boulay, Hist. Univ. Paris t. II, p. 64. et Hist. litt. d. l. Fr. t. XII, p. 4. Les théologiens font gloire encore aujourd'hui de suivre sa doctrine en presque tous ses points.

[2]) cf. Prolegomena Migneana et Liebner, Kritischer Anhang, in libro, qui inscribitur: „Hugo von St. Victor und die theologischen Richtungen seiner Zeit."

abhorret, inevitabili apparet necessitate, cujus quidem rei tot exstant exempla quot haereses, quarum si supremam quaeris rationem, ibi invenies, quum fines, intra quos sana et recta veritatis speculatio incedere debet, sint transgressi.

Atque illud mutuum inter utrumque consortium et discrimen quantum fieri potest, ipsius verbis usi prosequamur, ut inde egregia viri doctrina eniteat aeque ingenii acumine et speculationis altitudine ac mentis devotione et cordis humilitate excellens, quae viget adhuc in ecclesia, quamquam pro temporis spatio interjecto aliam quandam prae se fert speciem atque in Hugone nostro cum suae aetatis adversariis confligente.

Quod quo satius perspiciatur primum de utriusque natura et ambitu, tum deinceps de consortio et discrimine inter ipsas statuendo denique de ipsius philosophandi modo vere christiano disputare in animo est.

§. 1.

De fidei notione et natura.

1. Fidei descriptio et definitio.

Ratio rectusque procedendi modus, ne per ambages et tenebras ambulemus, exigit, ut priusquam de mutuo inter fidem et scientiam consortio et discrimine verba faciamus, certum et stabile fundamentum jaciamus explicando utriusque naturam et rationem. „Quomodo enim de iis, quae credenda sunt fide, bene sentire possumus, si de ipsa fide male sentimus? Propterea diligenter consideranda sunt singula quae dicuntur, ut ea dicamus et sentiamus, in quibus dum fidem rectam asserere nitimur, sanae fidei obviare non convincamur. Sunt enim homines, qui quasi quadam pietate impii in Deum efficiuntur et dum ultra id, quod in veritate est, sentiunt, in ipsam veritatem offendunt, quae ignorantia multos parit errores [1]).“

Variis vero modis fides apud Hugonem definiri solet iisque nequaquam repugnantibus aut contrariis, sed ipsius naturae variisque momentis aptis et accommodatis. Atque si ad effectum ipsius respicit, cum Apostolo Paulo (ad Hebr. c. XII) fidem „substantiam rerum sperandarum, argumentum non apparentium“

---

[1]) De sacramentis lib. I. p. X. c. 6.

appellat[1]); cujus definitionis duplicem affert expositionem. Convenienter enim Apostolus fidem substantiam rerum sperandarum vocat, si „ea, quae fide creduntur et per ipsam significantur“ intelligimus, quoniam bona quae vere subsistunt sperantibus et exspectantibus, ventura creduntur neque irrationabiliter argumentum non apparentium, quia, quae ratione humana non comprehendimus, sola fide nobis credibilia esse et vera persuademus.

Secundum alteram vero explicationem fidem „rerum sperandarum substantiam“ esse dicit, quia bona invisibilia, quae per actum nondum praesentia sunt, jam per fidem in cordibus nostris subsistunt, ut fides ipsorum sit subsistentia.

Res enim, ad quas pertinet fides, neque praesentes sensu neque per intellectum solum neque per experientiam comprehenduntur, sed fide sola percipiuntur, quo argumento majus de illis dubitantibus proferre non possumus, quae credi quidem possunt, comprehendi nequeunt, quum sint supra mentem humanam. Ista quidem descriptione objectum tantum fidei innuitur et effectus seu uti dicunt, fides quae creditur, unde ipsius gravitas, quantum ad cognitionem supernaturalem pertinet, elucet, fides vero qua creditur, si quis generalem et plenam definitionem signare voluerit, „voluntaria quaedam certitudo est animi de rebus absentibus, quae ad religionem pertinent supra opinionem et infra scientiam constituta.“

Quae definitio cum a nostra[2]) verbis abhorreat, videamus utrum revera plena et generalis sit appellanda.

Si quis veram fidei notionem vult stabilire, ipsam quomodo fiat et ad quas causas redundet, consideret necesse est. Fidem singularem esse cognoscendi modum jam antea innuimus, quum illud in primis de ipsa valeat dictum: „Si vides, non est fides.“ Homo enim, quippe qui ex corpore et anima compositus, duplicem habet oculum, carnis scilicet et ratio-

---

[1]) De sacr. lib. I. p. X. c. 2.

[2]) Fides divina (actualis sc.) est assensus supernaturalis super omnia firmus, datus rebus a Deo revelatis propter auctoritatem revelantis. Fides autem habitualis est virtus infusa nos permanenter habiles reddens ad eliciendos actus fidei cum auxilio gratiae actualis. Antoine, Theolog. universa specul. et dogmat. Tr. I. initio.

nis, ut mundum et quae in ipso sunt videret oculo carnis contemplatione praesenti, seipsum vero et quae in ipso erant, oculo rationis, qui tamen peccato lippus effectus est, ut non clare et recte discerneret, unde fit quod corda hominum facilius sibi consentiant in his, quae oculo carnis percipiunt incorrupto et aperto, quam in his, quae acie mentis et sensu rationis attingunt visione intellectuali. De visione corporali et certitudine ex praesenti contemplatione orta perperam et improprie fidei vocabulum adhibetur, velut illud abusive dictum, „oculis suis credere," quae locutio extra rem est [1]). Quae enim sensibus percipiuntur et per speciem videntur, in fidem cadere non possunt, quae est rerum invisibilium et absentium, quae ad religionem pertinent.

Neque etiam per intellectum cognoscuntur, quae fide credantur necesse est, cum ipsum excedant, quia neque corporum et corporalium similitudinem habent, secundum quam ratio ipsa invenire suis viribus confisa posset, neque de substantia animi sunt neque de his, quae in illa subsistunt, ut conscientia quoque humana suorum conscia de illis (sc. divinitus revelatis) sileat, quae nec oculus vidit nec auris audivit. Quandam ergo obscuritatem fides sane habet, unde ipsius meritum [2]) consequitur, neque tamen dubitationem ullam admittit, quum certitudo quaedam de ipsa praedicetur, quam in mente humana proferat, „constituta infra scientiam et supra opinionem," cum in auctoritate nitatur Dei revelantis non in nostra ipsorum natura [3]).

Quae enim homines audiunt, ad istam enim cognoscendi rationem fides spectat, diverso modo accipiunt, aut negando rejicientes alii et contradicentes, aut opinantes aut credentes. Opinionem vero vel existimationem fides transcendit.

---

[1]) De sacr. l. I. p. X. c. 2. cf. Augustinus. In Joann. Tr. 79. n. 1. Etsi dicuntur credi, quae videntur, sicut dicit unusquisque oculis suis credidisse, non tamen haec est fides, quae in nobis aedificatur. et Enchiridion c. 8. n. 2. Melius hanc appellamus fidem, quam divina eloquia docuerunt, earum sc. rerum, quae non videntur.

[2]) cf. Gregorius M. In Evang. l. 2. hom. 21. Nec fides habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum.

[3]) cf. Aug. de utilitate credendi n. 25: Quod scimus debemus rationi, quod credimus auctoritati.

Istius enim est proprium „unam vel alteram partem eligere non rationum ineluctabili auctoritate ductos, sed probabilitate rei commotos, ita tamen ut verum asserere non audeant, qua quidem in re semper aliqua dubitatio inhaeret.“ Qui vero fide rem suscipiunt, non probabilitate et electione unius prae altero rapiuntur, sed „confidenter et sine ulla dubitatione pro vero assumunt rejecta dubitatione insana,“ quod quidem quum de fide humana tum de divina valet etsi diversis modis. Plus itaque est credere, quam opinione nutare, si respicis ad cognitionem inde haustam, minus vero quam scire. Perfectius enim agnoscunt, qui ipsam rem ita ut est praesentem comprehendunt, qui sunt „scientes,“ ut optimo jure Hugo illam adjiciat descriptionem, „constitutam infra scientiam,“ quae necessario ad fidem constituendam requiritur.

2. Fides et ad rationem et ad voluntatem spectat.

Optimo enim jure cum Hugone urgendum est, „fidem non solum in cognitione constare, verum etiam idque prae ceteris in affectu, seu constantia vel firmitate credendi,“ quae spectat ad voluntatem, unde voluntaria certitudo dicitur[1]. In scientia quidem ratio sola operatur secundum leges insitas, non libero arbitrio veritati assentiendo sed rerum evidentia ad probandam ipsam vel rejiciendam commota. Quae si in fidem transferrentur, ipsius natura et veritas corrupta esset. Unde enim, quod Hugo identidem premit, meritum haberet ipsa, quomodo salutem operari posset excluso voluntatis assensu, si libera hominis actio ab ipsius actu segreganda esset? Fides enim, quae ad aedificationem est, non solum singularis cognoscendi modus est, sed inter virtutes theologicas[2] numeratur, ipsorum fundamentum operans per dilectionem, cui qui gratiam denegat ipsam destruit.

Atque si cognitionis et affectus rationem accuratius perquirimus, affectum substantiam fidei, cognitionem vero materiam describimus. Distinguendum est enim inter fidem, qua creditur et inter illam, quae creditur. Propterea vero fides

[1]) De sacram. l. I., p. X. c. 3.

[2]) cf. Aug. ep. 120. n. 8. Homo fidelis debet credere, quod nondum videt, ut visionem speret et amet.

in affectu habet substantiam, quia affectus ipse fides est, in cognitione materiam, quia „de illo et ad illud, quod in cognitione est,“ fides est. Cognitionem vero non intelligimus illam, quae ex praesenti contemplatione nascitur, sed illam quae ex auditu solo percipitur et ex verborum significatione manifestatur, illud enim, in quo nititur omnis fides, revelatio divina est, unde apparet illud ex auditu de industria esse adhibitum, quia auctoritati revelanti per verba fidem habemus, secundum illud Apostoli „ex auditu fides est,“ quae res ad aliam quoque necessariam fidei proprietatem nos perducit, nempe „quod fides sine omnimoda cognitione et scientia omnino esse non potest[1]).“

Cum enim illud, quod dicitur, ab illo qui audit intelligatur, etiamsi nesciat utrum sit an non sit ita ut dicitur, scientia tamen est, in quantum intelligit et scit quid sit, quod dicitur. Haec autem scientia cognitio est, quae sicut sine illa scientia esse non potest, qua res esse vel non esse scitur, ita sine fide esse potest, qua res esse vel non esse creditur, (quod plerumque fit quum praedicationem evangelii audiunt neque vero fide istam cognitionem suscipiunt). Ad hanc cognitionem si fides accedat, ut credatur, quod audiebatur et intelligebatur, est credulitas in cognitione et invenitur in credulitate fidei substantia, in cognitione materia. Ita credi quidem aliquando possunt quae non intelliguntur, quod persaepe apud simplices fit, fides autem sine omni cognitione esse non potest. Illud enim saltem requiritur, ut is qui scienti et credenti credit, sciat cui credit et qua ratione ad credendum adducatur, unde haud alieni sint ab ipsorum merito etsi cognitionem illorum non attingunt. Quamvis enim simplices cum perfectis occulta sacramenta Dei rimari non valeant, tamen quia se ab

---

[1]) cf. Augustinus, de praedest. Sct. c. 4. Quis enim non videat, prius esse cogitare, quam credere? Nullus quippe credit aliquid nisi prius cogitaverit, esse credendum. Idem: Epist. 120. n. 3. Absit namque, ut hoc in nobis Deus oderit, in quo nos reliquis animantibus excellentiores creavit. Absit, inquam, ut ideo credamus, ne rationem accipiamus sive quaeramus, cum etiam credere non possemus, nisi animas rationales haberemus . . . Si igitur rationabile est, ut ad magna quaedam, quae capi nondum possunt, fides praecedat rationem, procul dubio, quantulacunque ratio, quae hoc persuadet, etiam ipsa antecedit fidem.

illorum societate non dividunt, quasi juxta eos positi in eadem fide et spe bene operando se pascunt. Aliqua vero cognitio propter apud ipsos quoque requiritur, quae ipsam fidem per intentionem dirigat, quia si nihil ex his quae credenda sunt, cognosceretur, non haberet fides, quo se per intentionem in bono opere dirigeret neque ad quid bene operando spem suam excitaret.

Sed aliud est in quibusdam cognitionem transcendere fidem, aliud illa quae nunquam ignoranda sunt credenda nescire. Hic meritum fides habet, ubi etiam cognitione non discernit; hic quia a ratione omnino destituitur, cadit ipsa et fides ejus desistit. Nam sicut gratia praesupponit naturam, ita fides rationem, secundum Apostolum qui rationabile obsequium ipsam declarat. Naturalis enim cognoscendi modus non tollitur atque aufertur, sed elevatur et augetur lumine aeterno rationem humanam collustrante ipsamque supra se elevante.

3. Secundum cognitionem fidei gradus fidelium distinguuntur.

Quamquam fides in duobus potissimum constat, cognitione scilicet et firmitate credendi, nequaquam eodem modo utrumque se habet, verum fideles ipsi longe inter se distant, in utramque enim partem incrementi est capax, verum si ad meritum respicimus, magna illa apud Deum fides reputatur, quae etsi minus vigeat scientia, per constantiam tamen foris ostenditur, unde tria credentium genera distinguit[1]). Sunt enim fideles, qui sola pietate credere eligant, quod tamen utrum sit credendum an non credendum sit, ratione non comprehendant, quos sane superant, qui per rationem approbant, quod fide credunt. Duobus vero praestant, qui puritate cordis et munda conscientia interius jam gustare incipiunt, quod fide credunt. Verum istud incrementum fidei sine gratiae divinae adjutorio fieri nequit, quod luce clarius videmus in istis, qui quidem fideles nominantur, revera non sunt, qui consuetudine magis vivendi quam virtute credendi inter fideles numerantur, qui solis transeuntibus

---

[1]) De sacr. l. I., p. X., c. 4. Gravis momenti est haec distinctio, quum ad varia theologiae spectet genera, positivam, scholasticam et mysticam.

intenti nunquam ad futura cogitanda mentem sublevant. Qui si quando gratia divina visitantur, ad sui considerationem excitantur, ut quare homo natus sit, an alia post hanc vitam sequatur inquirant. Et quanto magis sibi errantibus periculum imminere cernunt, tanto magis ad cognitionem veritatis pervenire satagunt. Atque si diversas hominum de rebus gravissimis, quae ad salutem pertinent, considerant existimationes, quum Pagani unitatem divinitatis in pluralitatem scindant, Judaei creatorem quidem agnoscant salvatorem vero contemnant, ad fidem reducuntur quum suggerente Spiritu sancto intelligant si in multis dubiis unum aliquid relinquitur, ut unum aliud eligatur, dubietatem non auferri sed mutari, quae consideratio ad ampliorem religionis divinae excitat devotionem, quae mundat et purificat cor, ut jam quodammodo praegustare incipiant id ad quod fide et devotione cognoscendum festinant, invisibilibus documentis et secreta et familiari visitatione de Deo suo quotidie eruditi et certificati, ut nulla jam ratione ab ejus fide et dilectione (etiamsi totus mundus in miracula verteretur) avelli queant. Ista vero via non omnes ducuntur speciali gratia intus illuminati et corroborati. „Revelatio enim ipsa miraculis testata fide per se est dignissima et ad ipsam suscipiendam sufficientissima."

4. De fidei objecto proprio et necessario.

Multa quidem ad illustrandam fidem attigimus, verum si propriam ipsius rationem inquirimus, de objecto quoque proprio et singulari ratio reddenda est, quod ipsam fidem, quae est virtus divina, ab humana, quae dicitur, distinguit.

Sine fide enim etiam infideles vivere non possunt, ex hoc quod omnis homo in hac vita vivens sicut habet quaedam, quae per experientiam sentiat, ita quaedam etiam habet, quae nec visa nec experta, sola fide credat[1]).

Fidem tamen, quae in Deum est, nequaquam habere dicitur, nisi qui illa credit, quae credendo et amando homo Deum promeretur. Quod si duobus verbis complectimur, creatorem et salvatorem credere necesse est et quae ad ipsos pertinent;

---

[1]) De Sacr. lib. I., p. X. c. 5.

ut ex duabus partibus fides constet, debito naturae et debito gratiae, conditione scilicet et reparatione, unde apparet philosophorum gentilium naturalem cognitionem nullo modo fidem nuncupari posse, quia ut ipse ait, salvatorem non credebant.

Atque si ad rem fidei ejusque naturam respicimus, ab initio quidem per decursum saeculorum aucta est quoad cognitionem, mutata re non est. Non enim exigitur a fidelibus, ut magna quaedam et multa et sublimia fidei sacramenta agnoverint deque majestate creatoris et humilitate Salvatoris quorundam disputationem, profunditatem, rerum gestarum seriem memoria comprehenderint. Neque etiam a fidelibus, qui ante Christum fidem professi sunt, accurata et perlucida cognitio modi redemptionis et personae Salvatoris cum omnibus, quae cum ipsa erant conjuncta, exigebatur, quoniam si ista opus fuisset cognitione, aut perrara tunc salus fuisset aut plura et accuratiora novissent, speciali et prophetica (futura enim erant adhuc) Dei inspiratione edocti, quam Apostoli et Christiani, ut non profectus, sed defectus esset statuendus, ut adventus Christi non solum illuminationem fidelibus non attulisset, sed certiorem et meliorem agnitionem abstulisset. Crevit ergo per tempora fides secundum cognitionis modum neque tamen mutata est, ut alia esset. Semper enim in Ecclesia Dei (latiore sumpta sensu) ab initio fidem et cognitionem fuisse credimus incarnationis et passionis Christi, quia ab initio nunquam defuerunt, qui hoc cognoverunt singulariter ad hoc per Spiritum illuminati, quibus salvati fide simplici jungebantur.

Istis enim suffecisse dicit ad salutem obtinendam credere unum esse Deum creatorem omnium, Dominum et rectorem universorum [1]); ipsum quidem non esse mali auctorem, eorum tamen, qui in malis suis ejus misericordiam quaererent vel exspectarent, futurum redemptorem, quibus quidem fidei etiam christianae objectum innuitur paucis quidem verbis, ingentis vero et excelsae magnitudinis mysteriis, quae superant omnem intellectum humanum et fovent voluntatem.

Quae si diligenter animo pertractamus, jam apparent vestigia illius consortii et discriminis, quod inter ipsas exstat,

---

[1]) Ibidem c. 7.

quae magis etiam in lucem prodient, si ipsum, quae de scientia senserit audiamus, ut deinde posito solido fundamento ultra progrediamur.

§. 2.

Hugonis de scientia doctrina.

Fidei quidem definitionem strictam apud Hugonem invenimus, scientiae eandem frustra quaerimus, ut ipsius ea de re doctrinam praesertim ex Didascalicae Eruditionis libris evolvamus, qui ipsi Didascali cognomen apud aequales compararunt et sequentibus quoque saeculis adeo floruerunt auctoritate, ut Vincentius quoque Bellovacensis[1]) ipsis usus sit, in quibus egregiam ac singularem artium litterarumque tunc temporum traditarum descriptionem et partitionem (c. 1.) tribus prioribus libris, cum sacrorum librorum brevi historia et institutione ad ipsos legendos sequentibus tribus libris exhibet, qua quidem in re qui ante ipsum similem susceperunt explicationem[2]) multo superavit non solum quadam rerum quas attulit, novitate, quamquam ejusmodi quoque apud ipsum inveniuntur, sed ingenio, quod inde apparet, summopere admirabili. Atque hac in re paullo prolixiores esse cogimur partim singulari quo quaque parte ac disciplina in describenda ecclesiae doctrina utitur modo, partim opusculi ipsius egregia forma atque eruditionis eximiae documento.

Jam vero ab animi facultatibus exordium sumentes naturalem cognoscendi modum variasque disciplinas, quantum fieri potest, ipsius vestigiis inhaerantes prosequamur.

1. Triplex est vis animae.

Animae vis in vegetandis corporibus triplex[3]) est, quarum una quidem vitam solum corporis subministrat, ut nascendo crescat alendoque subsistat. Alia vero

[1]) cf. Speculum doctrinale L. I. c. 15.

[2]) V. g. Cassiodorus de artibus ac disciplinis liberalium artium „et" de institutione divinarum litterarum. Isidorus, etymologiarum libri XX. Honorius, de animae exilio et patria.

[3]) Erud. did. l. I., c. 4.

sentiendi judicium praebet, tertia vis mentis ratione subnixa est[1]).

Prima herbarum atque arborum est et quidquid terrae radicitus affixum tenetur; altera, cui prima semper conjuncta est, animalibus tribuenda est, quae non solum eas capiunt rerum formas, quibus sensibili corpore feriuntur praesente, sed abscedente quoque sensu sensibilibusque sepositis, cogitarum sensu formarum imaginem tenent memoriamque conficiunt, quas longius vel brevius custodiunt.

Istas tamen imaginationes confusas atque inevidentes sumunt, ut nihil ex earum conjunctione atque compositione efficere possint, unde meminisse quidem nec aeque omnia possunt et amissam oblivionem recolligere ac revocare non valent. Futuri vero illis nulla cognitio est. Tertia vero vis animae, quae priores secum trahit inseparabiles iisque velut famulis utitur, tota in ratione constituta vel in rerum praesentium firmissima conclusione vel in absentium intelligentia, vel in ignotorum inquisitione versatur, humano tantum generi pervia, quae non solum sensus imaginationesque perfectas et non inconditas capit, sed etiam pleno actu intelligentiae, quod imaginatio suggessit, explicat atque confirmat, unde huic divinae naturae non ea tantum in cognitione sufficiunt, quae subjecta sensibus comprehendit, verum etiam ex sensibilibus imaginatione concepta, et absentibus rebus nomina indere potest, et quod intelligentiae ratione comprehendit, vocabulorum quoque positionibus aperit, quum illud ipsius sit proprium, per ea, quae sibi nota sunt, ignota investigare et non solum unumquodque an sit, sed quid sit etiam et quale sit nec non et cur sit agnoscere. Cum igitur actus humani animi sit, ut semper in praesentium comprehensione aut in absentium intelligentia aut in ignotorum inquisitione atque inventione versetur, duo sunt, in quibus omnem operam vis animae ratiocinantis impendit, unum „ut rerum naturas inquisitionis ratione cognoscat, alterum vero, ut ad scientiam prius veniat, quod post gravitas moralis exerceat ratione moderatrice (I, 5).“ Singulari ergo naturae privilegio solis hominibus hoc studium sapientiae competit, quae est summum in vita solamen, quam qui invenit, felix est et qui possidet beatus (I, 2).

[1]) Distinctio triplex vitae vegetativae, sensitivae et intellectualis secundum terminos nunc adhiberi solitos.

2. Cognitio sui ipsus fundamentum est et origo cujusvis scientiae.

Ipsa illuminat hominem, ut seipsum agnoscat secundum illud in tripode Apollinis: „Γνῶθι σεαυτὸν,“ immortali enim animo ipse quod est satis esse poterat, unde extra quaerere aliquid necesse non fuit. Probata enim apud philosophos sententia: „Animam ex cunctis naturae partibus compactam asserit“ et Timaeus Platonicus: „Ex dividua et individua mistaque substantia itemque eadem et diversa et ex utroque commista natura, quo universitas repraesentatur, ἐντελέχειαν formavit. Ipsa namque et initia capit, quia et invisibiles intelligentium rerum causas comprehendit, et visibiles actualium formas per sensuum passiones colligit sectaque in orbes geminos motum glomerat, quia sive per sensus ad sensibila exeat sive per intelligentiam ad invisibilia ascendat, ad seipsam rerum similitudinem trahens regyrat, hoc est, quod eadem mens, quae universorum capax est, ex omni substantia atque natura, qua similitudinis repraesentet figuram, cooptatur. Pythagoraeorum enim dogma erat, „Similia similibus comprehendi,“ ut anima rationalis nisi ex omnibus composita foret, nullatenus omnia comprehendere posset, nam

Terram terreno comprehendimus, aethera flammis,
Humorem liquido, nostro spirabile flatu.

Haec vero sententia non ita est intelligenda, ut verba sonant, ut realis compositio in simplici essentia concedatur a viris in omni rerum natura peritissimis [contradiceret enim sanae menti], sed secundum compositionis rationem animam ex omnibus naturis constare dictitabant, ut apertius mirabilem ejus domonstrarent potentiam. Ista enim rerum omnium similitudo non aliunde aut extrinsecus animae advenire credenda est, sed ipsa potius eam in se et ex se nativa quadam potentia et propria virtute capit, quemadmodum cum impressor metallo figuram imprimit, illud non extrinsecus, sed ex propria virtute et naturali habilitate aliud jam aliquid repraesentare incipit. Sic mens humana rerum omnium similitudine insignita, omnia esse dicitur et ex omnibus compositionem suscipere, non integraliter, sed virtualiter atque potentialiter continere, quae est illa naturae nostrae dignitas,

quam omnes aeque naturaliter habent, sed non omnes aeque noverunt. Animus enim corporis passionibus consopitus et per sensibiles formas extra semetipsum abductus, oblitus est, quid fuerit et quia nil aliud se fuisse meminit, nil praeter id, quod videtur esse, credit. Reparatur autem per doctrinam, ut nostram agnoscamus naturam et ut discamus extra non quaerere, quod in nobis possumus invenire.

3. Philosophiam late dictam scientiam naturalem intelligit.

Atque illud sapientiae studium Pythagoras primus apte philosophiam seu amorem sapientiae nuncupavit, adeo enim latet omne verum, ut ejus amore quantumlibet ardeat mens, quantumlibet ad ejus inquisitionem surgat, difficile tamen ipsam, ut est, veritatem comprehendere queat. Est autem philosophia amor et studium et amicitia quodammodo sapientiae vero non hujus, quae in ferramentis quibusdam et in aliqua fabrili scientia notitiaque versatur, sed illius sapientiae, quod nullius indigens, vivax mens, et sola rerum primaeva ratio est, abs qua intelligens animus illuminatur et quodammodo ad seipsum retractatur atque advocatur, ut videatur sapientiae studium amicitia divinitatis et purae mentis, quae cuncto generi animarum meritum suae divinitatis imponit et ad propriam naturae vim puritatemque reducit, unde nascitur speculationum cogitationumque veritas et sancta puraque actuum castimonia.

Quibus de causis homini soli sapientiae studium divinitus datum competat (II., 5), cum Hugone attestati sumus, unde consequitur illud, ut rationalis animae actus caeca cupiditas non capiat, sed moderatrix semper praecedat sapientia. Itaque non solum ea studia, in quibus vel „de rerum natura vel disciplina agitur morum,“ verum etiam „omnium humanorum actuum seu studiorum rationes“ non incongrue ad philosophiam pertinent, philosophia enim dicitur „disciplina omnium rerum humanarum atque divinarum rationes plene investigans.“ Neque haec difinitio latior videbitur, si in mentem revocas, eundum actum et ad philosophiam pertinere secundum rationem suam et ab ea excludi secundum administrationem quemad-

modum agriculturae ratio philosophi est, administratio rustici. Tot igitur philosophiae partes sint necesse est, quot sunt rerum diversitates, ad quas ipsam pertinere constat.

4. Partes philosophiae quatuor.

Quodsi vero ad finem et intentionem omnium actionum humanarum seu studiorum, quae sapientia moderantur, spectas, omnes id agunt, ut vel naturae nostrae reparetur integritas vel defectuum, quibus praesens subjacet vita, temperetur necessitas, vel ut natura (quae est bonum) reparetur et excludatur vel saltem temperetur adhibito remedio vitium seu malum. Integritas vero vitae humanae duobus perficitur: scientia et virtute, „quae nobis cum supernis et divinis substantiis similitudo sola est,“ unde sic quoque formari potest sententia, ut vel „divinae similitudinis imago in nobis restauretur, qua parte homo, cum gemina compactus sit substantia, immortalis est; vel „hujus vitae necessitudini consulatur,“ quae (cum sit caduca et mutabilitati obnoxia sc. quoad corpus) quo facilius laedi potest adversis, eo magis foveri et conservari indiget. (I., 6 et 9.)

Atque duplex ista intentio duplicem continet actionem, divinam quippe et humanam, quarum altera, cum de superioribus, restauranda videlicet imagine divina, agit, apte intelligentia appellatur; altera, quod de inferioribus habetur, congrue scientia vocatur, quae sapientiae partes constituunt. Intelligentiam iterum, quoniam et ad inquirendam veritatem et ad considerandos mores pertinet, in duas species dividimus, in theoricam seu speculativam et practicam seu activam vel ethicam vel moralem. Scientia vero, quia opera humana prosequitur, proprie mechanica seu adulterina[1]) vocatur. Haec tria simul et primo loco numerantur, quia primo inventae sunt, logica (I., 12) enim, quae adnumeranda est quarta, postremo inventa est, quae tamen inveniri oportuit, quoniam nemo de rebus convenienter disserere potest, nisi prius recte loquendi rationem agnoverit, unde etiam

---

[1]) Mira etymologia (*μοιχᾶσθαι*) ab imitatione naturae per opera humana desumpta.

secundum Boëtium, qui primitus circa naturas rerum et morum qualitates investigandas operam impenderent, saepe fallerentur. Nisi enim prius ad scientiam venerit, quae ratiocinatio veram teneat semitam disputandi, quae verisimilem agnoverit et quae fida et quae possit esse suspecta, rerum incorrupta veritas ex ratiocinatione non potest inveniri. Cum igitur veteres saepe multis lapsi erroribus falsa quaedam et sibi contraria in disputatione colligerent, atque id fieri impossibile videretur, ut de eadem re contraria conclusione facta utraque essent vera, quae sibi discutiens ratiocinatio conclusisset, cuive ratiocinationi credi oporteret esset ambiguum; visum est prius disputationis ipsius veram atque integram considerare naturam, qua cognita illud quoque, quod per disputationem inveniretur, an vere comprehensum esset, posset intelligi. Hinc igitur logicae peritia disciplinae, quae disputandi modos atque ipsas ratiocinationes internoscendi vias parat, ut quae ratiocinatio nunc quidem vera, nunc autem falsa, quae vero semper falsa, quae nunquam falsa, possit agnosci, unde tempore quidem postrema, sed ordine prima est, „neglecta enim vocum et intellectuum natura nullus philosophiae tractatus rationabiliter explicari potest."

Logica vero secundum duplicem verbi interpretationem[1]) in rationalem, quae discretiva vocatur, qua continentur dialectica et rhetorica, et in sermotionalem distinguitur, quae genus est ad grammaticam, dialecticam atque rhetoricam, quae sub se disertivam continet.

5. Subdivisiones ipsarum.

Has vero philosophiae partes iterum dividit, quarum praecipuas quidem subdivisiones propter multiplicem in Theologia usum nosse juvabit. Theorica quidem tres complectitur disciplinas (II., 3) theologiam, mathematicam et physicam, quarum prima „ineffabilem Dei naturam aut speciales creaturas ex aliqua parte profundissima qualitate" disserit, cujus objectum secundum Boëtium est intellectibile quod unum atque idem per se in propria semper divinitate subsistens, nullis

---

[1]) λόγος enim secundum ipsum est ratio vel sermo.

unquam sensibus, sed sola mente intellectuque capitur; altera sc. mathematica „abstractam quantitatem“ considerat, cujus si species quaerimus, arithmeticam, musicam, geometriam, astronomiam accipimus. Quantitas enim secundum multitudinem quae aut per se est, velut quivis numerus, aut ad aliquid, ut duplum, et magnitudinem mobilem ut sphaera mundi, immobilem ut terra considerari potest, ut habeas quatuor ante dictas (II., 7) disciplinas, eodem quo sequuntur ordine, quadrivium illud perquam celebre. Tertio autem loco ponitur physica, quae „causas rerum in effectibus suis et effectus in causis suis“ investigando considerat, quae notio etiam pro theorica adhibetur sensu latiore (II., 17), quae „propter speculationem veritatis rerum“ sola etiam sapientia nominari solet. (II., 19.)

Practica vero tribus continetur partibus ethica vel morali seu solitaria, oeconomica seu privata vel dispensativa et politica seu publica vel civili. (II., 20.)

Mechanica seu adulterina septem scientias continet: lanificium, armaturam, navigationem, agriculturam, venationem, medicinam, theatricam, quibus ingentem paene scientiarum numerum accurate et subtiliter subjungit, ut circiter triginta octo collocet divisiones et subdivisiones, quas libenti animo missas facimus. (II., 21.)

Logica denique grammaticam, dialecticam et rhetoricam (II., 30) continet, trivium illud ab omni tractandum, quibus omnem scientiae ambitum exhausit, quem et ipse novit et animo amplectendum monet.

§. 3.

De fidei et scientiae discrimine.

Ex fidei et scientiae natura ac partibus modo spectatis apparet, ipsas ab invicem esse distinctas et discretas quum quoad objectum tum quoad modum et terminum, ad quem currunt, neque tamen contraria quadam et aliena dissimilitudine, ut altera alteri repugnet et una si eligatur, altera reprobetur, quum quaedam exstent, quae communi quodam vinculo ipsas conjugant, de quibus postea agimus. Istam vero diffe-

rentiam, si uno vocabulo comprehendimus, in diverso cognoscendi modo ponimus, quum alter sit naturalis, alter supernaturalis. Itaque theologia et philosophia, quae in istis, ratione videlicet et revelatione, nituntur, non solum ratione objecti et principii, sed etiam ratione medii ab invicem differunt, altera enim in naturae, altera in revelata veritate investiganda versatur, quae quantum distent una ab altera, caeco quoque patet oculo.

1. Ratio et revelatio suas habent rationes.

Rerum enim omnium, quarum rationalis creatura est capax, quaedam sunt ex ratione, quaedam secundum rationem, quaedam supra rationem sunt, praeter quas accedunt, quae sunt contra rationem[1]).

Ex ratione vero necessaria sunt, contra rationem incredibilia, secundum rationem probabilia, supra rationem mirabilia. Duo quidem prima fidem omnino non capiunt, quae enim ex ratione sunt omnino nota sunt et credi non possunt, quia sciuntur; quae vero contra rationem sunt, nulla similiter ratione possunt suscipi, quoniam ratio his acquiescere aliquando nequit.

Itaque ea tantummodo, qnae secundum rationem, et quae supra rationem sunt, in fidem cadunt, sed diversis modis. In iis namque, quae secundum rationem sunt, fides ratione adjuvatur et ratio fide perficitur, quoniam secundum rationem sunt, quae creduntur[2]).

In iis vero, quae supra rationem sunt, non adjuvatnr fides ratione, quoniam non capit ratio ista, quae fides credit, insita habilitate et tamen est aliquid, quo ratio admonetur venerari fidem, quam non comprehendit. Quae dicta sunt ergo secundum rationem, fuerunt probabilia ipsi et sponte acquievit eis, quae vero supra rationem fuerunt, ex divina

---

[1]) De sacramentis l. I., p. III., c. 30.

[2]) Sunt res quaedam, quae rationi non omnino latent neque omnino patent, inevitabili evidentia ad assensum cogentes, quarum quidem veritatem ratio non omnino comprehendit, probabilitatem autem demonstrat. cf. quae sequuntur.

revelatione sola sunt prodita, et non operata est in eis ratio, sed castigata tamen, ne ad illa contenderet[1]).

Quae si accuratius consideramus, jam patet, scientiam seu naturalem cognitionem suas habere rationes, ad quas fides, quae in revelatis veritatibus nititur, non pertinet, quarum varias disciplinas sub philosophiae nomine comprehendit, ne theologia quidem, quam affert, excepta, quum naturalem seu mundanam neque divinam in mente habeat.

Aeque quae supra rationem constituta appellat, a scientia per naturales animae facultates acquisita distant. Mirabilia enim, (ita explicat ista vocabulo latiore sensu sumpto) quoniam neque secundum leges naturae stabiles fiunt neque ratio humana suis sola confisa viribus ista invenire potest, non humanae rationis judicio pensanda sunt, nisi ipsius naturae ordinem pervertere conamur. Mysteriorum enim fides est, quae credi quidem, comprehendi omnino non possunt. Atque ad ista tanquam proprium objectum fides sola pertinet.

Si enim v. g. quaeris, quid sit Deus[2]), dicere non potes, si cogitare eum audes, non vales; ineffabilis enim et incomprehensibilis est ejus natura. Nulla enim rerum creatarum species ita ejus similitudini approximat, ut id, quod vere in ipsa est, expresse et secundum proprietatem ostendat. Illud namque, quod infinitum est, ab humana scientia existimari non potest. De ipso igitur mens humana aliquid capere potest, ipsum non potest. Quod enim cogitari potest, ascendit in cor hominis et capitur a corde hominis, vel in his, quae videntur secundum speciem, vel secundum ea, quae per imaginationem vel in his, quae sentiuntur intus per experientiam et veritatem. Quod autem Deus est, nec horum aliquid est, quia creatura non est, nec secundum ista, quia creator est. Si enim intelligeretur secundum ista, in eadem similitudine deduceretur ad ista et esset hoc in istis, quod in illo est. Quaecunque autem in creaturis sunt, magis sibi vicina sunt, quam opus artifici et factura plasmatori. Deus enim ad

---

[1]) His verbis nequaquam rationis munus etiam in summis religionis veritatibus aufert (cf. quae de fide diximus), sed finem et terminum, quousque progrediatur suis confisa viribus, stabilivit. cf. quae sequuntur.

[2]) cf. In coelestem hierarchiam p. 494 in editione Rothomagensi.

creaturam comparatus amplius excellens invenitur, quam quod summum est conditum ad ea, quae sunt ima vel extrema facta, comparatum. Coelum enim et terra et quae ibi sunt, aliud atque Deus sunt. Dicere igitur tantummodo possumus, non est hoc Deus [1]).

Quod etiam valet de aliis religionis summis veritatibus, ad quas solo rationis adjutorio innixi pervenire non possumus, de quibus revelatione divina certiores facti sumus, ratione radio solis divini illuminata.

2. In iis quoque, quae secundum rationem sunt, fides primum obtinet locum.

Quin mysteria, quippe quae supra rationem constituta, fide sint amplectenda, nemo, qui ipsorum rationem cognoverit, dubitabit, verum exstat tertium rerum genus, quod spectat ad illa, quae secundum rationem sunt, in quibus quidem ratio, etsi illarum veritatem non penitus comprehendere neque ineluctabili argumento demonstrare valet, fidem tamen adjuvat et ab ipsa adjuvatur, quae si accuratius significare volumus, veritates sunt illae, quae altera ex parte ad rationem, altera ad fidem pertinent, v. g. Dei existentia et naturae divinae unitas, animae immortalitas et alia, quae ratione quoque investigantur et investigari possunt, quarum quidem rationem et causam Hugo ipse ex ratione ostendit, vel disertis verbis tanquam rationis inventa vel terminis ad rationis proprium munus spectantibus. Quae quamquam quum ad fidem tum ad rationem pertinent, diverso tamen cognitionis modo et effectu, praesertim quoad firmitatem et certitudinem, suscipiuntur, cujus quidem rei Hugonis scripta varia exhibent documenta. „In prima enim creatione est exposita et proposita interiori oculo illustratio summae lucis, quoadusque per se sine aliqua gratia superveniente pervenire valeret. Et potest dici, quod naturaliter videt, quia cum natura data est aptitudo et idoneitas videndi exposita illa luce [2]).“ Neque hanc naturalem aptitu-

---

[1]) Recte hoc loco et aliis ostendit, negationes in consideranda Dei natura esse proprias, affirmationes incompactas et improprias.

[2]) Quaestiones circa epistolam Pauli ad Rom. T. I., f. 269, in editione Rothomagensi.

dinem rationis per peccatum protoparentes perdiderunt, nam: „Naturale bonum (rationem in mente habet) in homine per peccatum corrumpi potuit, exstingui omnino non potuit, quia vivit adhuc scintilla quaedam naturalis rationis in mente hominis [1].“ Verum ratio naturalis quamquam per peccatum originale non est exstincta, plurimum tamen detrimenti inde cepit. „Ante peccatum enim ratio facilius et perfectius comprehendit, quod modo cum magna difficultate et minus perfecte et a longe speculatur; multa etiam novisset tunc (sc. si Adam non peccasset), quae modo non cognoscit [2].“ Inde divinae, quam vocat, theologiae, quae huic detrimento mederi studet, prae mundana elucet dignitas.

„Duo enim simulacra homini erant proposita, in quibus invisibilia videre potuisset, unum naturae unum gratiae, in specie hujus mundi et in humanitate Verbi posita. In utroque quidem Deus monstrabatur, verum non in utroque intelligebatur, quoniam natura quidem artificem demonstravit, sed contemplantis oculos illuminare non potuit. Humanitas vero Salvatoris medicina fuit, ut caeci lumen reciperent, et doctrina pariter, ut videntes agnoscerent veritatem. Per simulacra naturae Creator tantum significabatur, in simulacris vero gratiae praesens Deus ostendebatur, quia illa operatus est, ut intelligeretur esse, in istis vero operatus est, ut agnosceretur praesens esse, in quo quidem constat theologiae humanae et divinae distantia. Utraque enim invisibilia per visibilia ostendat necesse est, sed mundana theologia opera conditionis assumpsit et elementa hujus mundi secundum speciem creata, ut demonstrationem suam faceret in illis, divina vero opera restaurationis elegit secundum humanitatem Jesu et sacramenta ejus, quae ab initio sunt, naturalibus quoque pro modo subjunctis, ut in illis eruditionem conformaret. Idcirco mundana theologia parum evidenti demonstratione utens non valuit, incomprehensibilem veritatem sine contagione erroris educere, cum divina noscitur theologia simplici ac pura assertione [3].“

---

[1]) De arca mystica t. II., f. 184.
[2]) Ad Rom. t. I., f. 269.
[3]) Comment. in coelestem hierarchiam Dionys. Areopag. l. I., c. 1.

3. Rationis naturalis infirmitas in philosophorum apparet erroribus, si relictis, qui concessi sunt, finibus ad scrutanda divina exeunt.

Naturae humanae infirmitas, si de divinis agitur veritatibus, nisi divinitus per revelationem sanatur, aeque apud sapientes, qui dicuntur apparet, quibus hac ex parte auctoritas, quae in reliquis debetur scientiis, est deneganda.

„Quanta enim illi excellentis ingenii monumenta reliquerunt, ubi tam multa investigatione secreta naturae et abdita rerum conditarum prosecuti sunt, ut ipsam illorum efficaciam omni studio praeferendam esse existimemus. Legimus artes et studia, et disciplinas et rationum praecepta plurima, quae illi sensu et ingenio suo dato in hoc ipsum scrutati sunt et invenerunt et scripserunt inventa et legenda posteris tradiderunt, logicam et ethicam et mathematicam et physicam, de forma ratiocinationum et vitae et morum pro instituto naturae decentium, de dispositione et ordine et causis et proventibus rerum omnium. Et invaluerunt in parte hac, ut verum apprehenderent; quoniam et haec veritas per eos ministranda erat, quae non erat ad vitam, qui filii vitae non erant. Ideo datum est illis propter nos, quibus consummatio servabatur et inchoatio parabatur, ut invenirent veritatem illam, quam oportuit suscipere filios vitae ad obsequium summae veritatis[1]). Cujus labor ipsis appositus est, nobis fructus servatus.

Et in omnibus lumen intelligentiae et acumen ingenii sensusque virtutem ad documenta praevia perceperunt, in quibus creaturarum vim et modum naturae inferioris secundum formam rationis insitae subtiliter discusserunt. Novissime autem theologiam pro ratione divinorum et scrutatione invisibilium quasi consummaturi sapientiam addixerunt, ut ipsi putaverunt consummaturi, sed vere amissuri et veram non inventuri. Nam ibi corruere coeperunt in mendacia figmentorum et assumpserunt species visibiles simulacra divinorum, ut invi-

---

[1]) Una cum patribus ecclesiae et omnium aetatum theologis philosophorum probat studia et utitur ipsorum argumentis solidis, optimo autem jure ipsorum auctoritatem rejicit in rebus, quae ad fidem pertinent, quum famulari inferiorem scientiam superiori par sit. Simul hic innuit, cum religione christiana verae sapientiae et scientiae solem nobis illuxisse.

sibilia viderent per ea, quae videbantur, et erat ibi *simile aliquid*, sed de longe ostendens, quod quaerebatur, neque ingerens lucem oculis caligantibus; similitudo enim erat peregrina ad excellentem et dominantem majestatem.

Atque cum non haberent, quae per gratiam exemplaria formabantur ad sanitatem visionis internae neque arcam sapientiae novissent et conditorum thesaurum, carnem Verbi aeterni in Jesu humanitate, sed naturali solo documento usi lippiente acie lumen nubilum et ambiguum in rerum creatarum contemplationem adducentes, *erraverunt* et *evanuerunt*, quum *transire* vellent mente ea, quae sola nosse acceperant, et palpantes aestimationibus ad ea, quae videri non poterant, *caeci* inventi sunt, qui se videre putarunt.

Haec sunt simulacra errorum, quae theologia (sic enim ipsi vocaverunt studium, quo divina scrutari crediderunt) vanitatis eorum et deceptionis praedicat veneranda, in quibus tam multa tam praeter verum et rectum et naturae bonae consentaneum mentiuntur, ut ipsi quoque erubescere compellantur in eis.“ (Quod de nostris quoque, qui philosophos se esse abjecta fide jactitant, valet, qui interdum insanire magis, quam sapere videntur [1]).)

§. 4.

De mutuo inter utrumque consortio.

Cum nulla alia creatura nisi rationalis fidem suscipere possit, quia sicut gratia naturam ita fides praesupponit rationem, licet discrimen intercedit inter fidem et scientiam quoad principium, objectum et modum cognitionis, apparet, consortium etiam mutuum inter ipsas esse statuendum. Fieri enim non potest, quin fides et scientia sibi contradicant solida contradictione, nisi veritatis via relicta jacet, veritas enim veritati repugnare nequit [2]).

[1]) cf. epistola Pii PP. IX. ad Archiepiscopum Monacensem et Frisingensem d. 11. Dec. 1862, unde ad Hugonis dicta permultum lucis redundat.

[2]) cf. S. Thomas contra Gentiles l. I., c. 7. Ea igitur, quae ex revelatione divina per fidem tenentur, non possunt naturali cognitioni esse contraria. S. p. 1. q. 1. a. 8. Cum. fides infallibili veritati innitatur, impossibile autem sit, de vero demonstrari contrarium, manifestum est, probationes, quae contra fidem inducuntur, non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta.

Amicitiam ergo et consortium inter ipsas intercedere rectus naturae ordo praecipit, quemadmodum in matrimonio et fieri solet et debet, ita ut una alteram adjuvet et elevet, qua quidem in re naturalem cognitionem supernaturali per fidem acceptae servire et ancillari decet. Inferior enim superiori cedat et obtemperet secundum illud tritum et quibusdam haud bene intelligentibus perquam odiosum: „Philosophia theologiae ancilla." Non enim servitutem indignam et ab libertate, qua philosophia in investiganda veritate merito fruitur, alienam prae se fert illud dictum, quia summae veritati et ex divino fonte profluenti servire decori magis quam dedecori est et philosophia, etiamsi in scrutandis divinis secundum obtinet locum, primos tamen et principales ex fide percipit fructus et propriam retinet procedendi rationem. Fides enim secundum Hugonem ratione adjuvatur, ratio fide perficitur, quibus quidem intimum utriusque consortium et ratio innuitur, quae deinceps tractanda sunt.

1. Fides adjuvatar ratione, quae praecedat necesse est.

Sicut omnes artes ita sibi cohaerent et alternis vicissim rationibus indigent, ut si una defuerit, ceterae philosophum facere non possint (Didascalion), unde errare videntur, qui non attendentes talem in artibus cohaerentiam quaedam sibi ex ipsis eligant et ceteris intactis his se posse fieri perfectos putent; ita etiam fides et scientia quodam coarctantur vinculo, quod quidem rumpere idem est atque bellum gerere contra illum, a quo est omnis scientia et mysteriorum fides. Hoc enim omnes artes agunt, hoc intendunt, ut divina similitudo in nobis reparetur, quae nobis forma est, Deo natura, cui quanto magis conformamur, tanto magis sapimus. Tunc enim in nobis incipit relucere, quod in ejus (sc. Dei) ratione semper fuit, quod quia in nobis transit, apud illum incommutabile consistit. Non ergo inutilia agunt artes, non superflua est fides, sed totus homo ad Deum eat necesse est, etsi hic nondum perveniet, quum magnum sit et excelsum aliquatenus ad ipsum accedere. Quod ut obtineatur, utroque opus est. Scientia enim, illa nempe, quae a fide distinguitur, tum ipsam theologiam praecedat necesse est, tum ipsam illustret et adjuvet. Gradus

enim et profectus sunt statuendi, quibus ratio humana ad considerandam et intelligendam divinam sapientiam conscendit. Per visibiles enim visibilium formas, quas mathematica docet, pervenitur ad invisibiles visibilium causas, quas scrutatur physica, et per invisibiles visibilium causas ascenditur ad invisibiles substantias et earum cognoscendas naturas, quod est theologiae proprium munus, quae ceteras praesupponit disciplinas, ipsis ad demonstrationem utens [1]).

Ratio itaque et scientia quum fidem praecedit mentemque ad illam praeparat (sc. quoad cognitionis neque vero meriti modum), cum quaedam per se quoque cognoscere possit velut apparet in philosophis de Dei existentia, natura et attributis disserentibus, tum ipsam rerum fidem ad quandam scientiae speciem elevat. Non enim mens humana acquiescit iis, quae creduntur voluntaria certitudine, sed naturaliter quaerit et investigat, ut etsi alta Dei rimari nequit, ad quandam tamen rerum creditarum cognitionem perveniat, ut non solum „pietate eligat, quae credat, sed per rationem quoque approbet,“ unde theologia speculativa seu uti dicunt, scholastica, nomen et originem duxit, cujus quidem prae ceteris proprium est, philosophicis, quantum fieri potest, uti argumentis in explicanda et probanda ecclesiae doctrina. Philosophiam ergo Hugonem inter scholasticos primarios recenseri solitum in adjutorium convocasse, haud quemquam fugit, verum ipse reliquis, quas antea citavimus, disciplinis speciale tribuit munus. Cum enim in sacris scripturis non sicut in reliquis voces tantum sed res quoque significativae sint [2]), unde non solum vocum sed rerum quoque cognitio requiratur, in cognitione vocum adhibentur grammatica et dialectica et rhetorica; in cognoscendis vero rebus vel secundum formam vel naturam arithmetica, musica, geometria et astronomia cum physica. Ex quo constat, quod omnes artes naturales divinae scientiae famulantur et inferior sapientia recte ordinata ad superiorem conducit [3]). Historiae [4]) enim subserviunt grammatica, dialectica et rhetorica, allegoriae et tropologiae arithmetica, musica, geometria,

---

1) Comment. in Coelestem hierarchiam Dionysii Areop. c. 1.

2) De Sacramentis Proleg c. 5.

3) Ibidem c. 6.

4) Notissimus est iste triplex sacrarum scripturarum sensus.

astronomia et physica, super quae ante omnia divinum illud est, ad quod ducit sacra scriptura, fidem scilicet et bonam operationem, in quibus constat cognitio veritatis et amor virtutis, vera hominis reparatio.

2. Ratio fide perficitur.

Famulentur ergo omnes artes ac disciplinae necesse est divinae scientiae et ipsam adjuvent, quam rationabile obsequium esse constat, ut altiorem, quantum fieri potest, dogmatum intelligentiam promoveant, etsi nunquam, dum per hujus vitae umbram et caliginem ambulamus, ad ipsorum mysteriorum profundissimam altitudinem pervenire concessum erit, quae propter naturalem rationis infirmitatem demonstrari nunquam possunt, quarum vero fidem venerari debet ista originis et finis memor, ut inde lumen clarum et quandam perfectionis speciem accipiat tanquam praeclarissimos fructus servatae in matrimonio indissolubili obedientiae.

Fides namque rationem et scientiam humanam illuminat et supra se exaltat, ut quae vel nusquam vel dubie tantum suis confisa viribus cognovisset, jam per fidem certe et aperte videat. Non enim temere fides nos ea quoque docet, quae aliquatenus ratione inveniri possunt, quoniam „non omnium est ista scientia," sed pauci inveniuntur, qui et animi facultatibus egregiis praediti et doctrina instructi ad ista accedere possint. Fides autem ad omnes pertinet, qui bonae sunt voluntatis. „Philosophi enim pauci inveniuntur interque eos paucissimi, qui vera et recta de iis senserint, de quibus inquisitiones instituunt, unde non solum veteres philosophi sed etiam novi ipsorum asseclae interdum insanire magis quam sapere videantur." Christiani contra philosophi veritatis vestigiis inhaerentes tantum abest, ut a fide recta aberrent et deflectant, ut ipsam approbent. „Philosophi enim gentilium, ut ipsius sonant verba [1]), superstitiosa quadam curiositate naturas rerum i. e. opera conditionis investigando, in cogitationibus evanuerunt, philosophi Christianorum opera restaurationis jugiter meditando omnem a cogitationibus suis vanitatem expellunt."

[1]) De arca morali IV., VI., p. 328.

§. 5.

De ipsius philosophandi modo vere christiano.

Atque haec jugis restaurationis meditatio, quam de christianis praedicat philosophis [1]), quos in ipso fructus protulerit, paucis indigitare in animo est. Sicut enim gentilium philosophi sapientiae studio et amore commoti veritatem summa constantia atque contentione indagabant, ita vere christiani, qui ab Hugone dicuntur, sapientes fide edocti rerum divinarum atque humanarum rationes, quantum fieri potest pro humanae rationis infirmitate, proposita menti revelationis divinae luce investigare student, quam vocat cognitionem fidem subsequentem, mysteriorum videlicet intelligentiam, de qua scriptum est: „Nisi credideritis, non intelligetis [2]).

Inde philosophiam „amorem et studium et amicitiam quodammodo sapientiae“ declarat, „illius nempe sapientiae, quae nullius indigens, vivax mens et sola rerum primaeva ratio est, quae semel et simul omnia intuetur praeterita, praesentia et futura neque unquam oblivione aboletur, ad cujus similitudinem cuncta formata sunt [3]).“

Itaque philosophia „intelligentis animi ab illa pura (sc. divina) sapientia illuminatio est et quodammodo ad seipsam retractatio,“ ut videatur sapientiae studium divinitatis et purae mentis illius amicitia, unde vitam et esse habent omnia, ad cujus exemplaris similitudinem totus mundus iste sensibilis factus est. In ratione enim divina et in providentia aeterna omnis creatura, antequam esset in se, causam et similitudinem habuit, ex qua et secundum quam perfecta est in sua substantia [4]).

1. Duplex Dei manifestatio est, scilicet per creationem et Incarnationem.

Verum sicut sapientia hominis non videtur nisi donec ab ipso homine exeat et manifestetur per verbum, ita sapientia Dei invisibilis fuit et non potuit cognosci nisi ab ipso solo,

---

[1]) Inde apparet, philosophi nomen non stricto sed latiore adhiberi sensu.

[2]) Quaest. circa epist. ad Roman. t. I., p. 361 edit. Rothomag.

[3]) Erudit. didasc. l. I., c. 3 et l. II., c. 1.

[4]) De sacram. l. I. p. V. c. 3.

cujus erat, donec manifestata est per opus suum. Sicut per verbum oris manifestatum est verbum cordis, sic loquitur omnis natura ad auctorem suum et indicat, quod factum est, opificem intelligendi sensum habentibus [1]). Verbum enim bonum et vita sapiens, quae mundum fecit, contemplato mundo conspicitur. Et verbum ipsum videri non potuit et fecit, quod videri potuit et visum est per id, quod fecit. — Universus enim mundus iste sensibilis quasi quidam liber est scriptus digito Dei, hoc est divina virtute creatus, et singulae creaturae quasi figurae quaedam sunt non humano placito inventae, sed divino arbitrio institutae ad manifestandam invisibilem Dei sapientiam.

Quemadmodum autem si quis illiteratus apertum librum videat, figuras aspicit, litteras non cognoscit, ita stultus et animalis homo, qui non percipit ea, quae Dei sunt (I. Cor. II.), in visibilibus istis figuris foris videt speciem, sed intus non intelligit rationem. Qui autem spiritualis est et omnia dijudicare potest, in eo quidem, quod foris considerat pulchritudinem operis, intus concipit, quam miranda sit sapientia Creatoris. Et ideo nemo est, cui opera Dei mirabilia non sint, dum insipiens in eis solam miratur speciem, sapiens autem per id quod foris videt, profundam rimatur divinae sapientiae cogitationem, velut si in una eademque scriptura alter colorem seu formationem figurarum commendet, alter vero laudet sensum et significationem. Bonum ergo est assidue contemplari et admirari opera divina, sed ei qui rerum corporalium pulchritudinem in usum novit vertere spiritualem [2]).

Quoniam liber iste digito Dei scriptus legebatur quidem caligante per peccatum oculo neque tamen intelligebatur ab illiteratis et rerum divinarum imperitis, „voluit postea adhuc aliter scribi foris sapientia, ut manifestius videretur et perfectius cognosceretur; ut oculus hominis illuminaretur ad scripturam secundam, quoniam caligaverat ad primam (sc. creationis). Fecit ergo secundum opus post primum et illud evidentius erat, quia non solum demonstravit, sed etiam illuminavit. Assumpsit carnem non amittens divinitatem; et positus est liber scriptus intus et foris, humanitate foris, intus in divini-

[1]) De sacram. l. I. p. III. c. 20.
[2]) Erudit. didasc. l. VII., c. 1. et 4.

tate, ut foris legeretur per imitationem, intus per contemplationem; foris ad sanitatem, intus ad felicitatem; foris ad mentem, intus ad gaudium; intus in principio erat Verbum, foris Verbum caro factum est et habitavit in nobis. Liber ergo unus erat, semel intus scriptus et bis foris. Foris primo per visibilium conditionem, secundo foris per carnis assumptionem; primo ad jucunditatem, secundo ad sanitatem; primo ad naturam, secundo contra culpam; primo ut natura foveretur; secundo ut vita sanaretur et natura beatificaretur [1]).

Ad duplicem istam manifestationis divinae viam persaepe redit ipsamque variis modis illustrat, quum ipsius esset propositum omnis scientiae et cognitionis tum rerum divinarum tum humanarum unum ostendere fontem, ex quo omnia dimanant, unum demonstrare sapientiae solem, cujus radiis variis illuminantur homines, unam omnis vitae originem. „Duo enim simulacra erant proposita homini, in quibus invisibilia videre potuisset; unum naturae, unum gratiae. Simulacrum naturae erat species hujus mundi, simulacrum autem gratiae humanitas Verbi; et in utroque Deus monstrabatur, sed non in utroque intelligebatur, quoniam natura quidem specie sua artificem demonstravit, sed contemplantis oculos illuminare non potuit. Humanitas vero Salvatoris et medicina fuit, ut caeci lumen reciperent, et doctrina pariter, ut videntes agnoscerent veritatem [2]).“

2. Ratione et revelatione Deus cognoscitur.

Duo igitur sunt opera, in quibus universa continentur, quae facta sunt, conditionis scilicet et restaurationis, quibus manifestatur sapientia divina et perficitur cognitio humana, quae quidem constat „ex visis et creditis.“ „Itaque modi quoque sunt duo et viae duae et manifestationes duae, quibus a principio cordi humano latens proditus est et praedicatus occultus Deus, partim sc. ratione humana, partim revelatione divina, et ratio quidem humana duplici investigatione Deum deprehendit, partim videlicet in se, partim in iis, quae erant extra se.

1) De sacram. l. I. p. VI. c. 5.
2) In Explanatione coel. hierarch. Dionysii Areop. c. 1.

Similiter revelatio divina „duplici insinuatione eum, qui nesciebatur vel dubie credebatur, et non cognitum indicavit et partim creditum asseruit. Nam humanam ignorantiam nunc intus per inspirationem illuminans edocuit, tunc vero foris vel per doctrinae eruditionem instruxit, vel per miraculorum ostensionem confirmavit [1]).“

„Ratio enim primum et principale homini speculum veritatis contemplandae fuit, in quo primum et principalius invisibilis Deus, quantum ad manifestationem expositus est, videri poterat, quod illius imagini et similitudini proximum et cognatum magis factum erat, ut per se invenire posset (ratio) eum, a quo facta erat [2]).“

Cujus (sc. Dei) vero divina natura, quum sit invisibilis et incomprehensibilis, revelatio divina rationi humanae, quae tam longe a Deo est, ut suis confisa viribus ad invisibilia ipsius accedere non possit, opituletur necesse est, quae ipsam supra se elevat et ad cognitionem supernaturalem, quam fidem vocamus, habilem reddit. Quae quum aeque in ratione atque in gratia Dei nitatur tanquam radicibus, sola mentis acies et acumen ingenii haud sufficit ad scrutanda divina, quae fide percipimus, sed animo ad illa suscipienda praeparato opus est. „Tantum enim de veritate quisque potest videre, quantum ipse est. In nobis quippe est, quod de rerum cognitione percipimus, et eo modo cordis intellectus de iis, quae extra sunt, ad veritatem judicat, quo se interius animus in repraesentatione figurat. Unde necesse est, ut dum mens interius corrupta prave afficitur, intellectus quoque in judicio eorum, quae foris sunt, decipiatur [3]).“ „Socia enim veritatis est bonitas neque libenter venit sine bonitate veritas, aut si venit, non venit ex partibus illis et de regione illa, ubi salus est [4]).“ Sicut enim unus est sol, per quem omnis quidem oculus irradiatur, quem tamen non omnes, qui per eum vident, agnoscunt, ita etiam lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, cunctis quidem superfunditur, in omnes aeque clarescit, uni-

---

1) De sacram. l. I. p. III. c. 3.
2) cf. De sacram. l. I. p. III. c. 6.
3) De sapientia animae Christi, praefatio.
4) De sacram. l. II. p. XIV. c. 9.

versos illustrat, sed alius per eam videt, alius eam videt ipsam. Mali enim illuminantur, ut cetera videant, ipsum per quem vident, non videant, boni vero illuminantur, ut eum videant, a quo et per quem vident, ut ad eum referant et in eo ament omne, quod vident, et eum ament super omne, quod vident [1]).

3. Sententiarum quas commemoravimus in Hugonis speculationibus gravitas.

Quum vero adeo omne lateat verum, ut, quantumvis mens humana ejus amore exardescat, difficile tamen sit, veritatem ipsam, ut est, invenire, prudentem ac sapientem decet virum, peritissimos sequi duces praesertim in rebus, ubi sine periculo non erratur. Quod quum valeat de rebus quoque vilibus et mundanis, magis etiam servandum est de rebus divinis quaestiones facienti et speculationibus alta divinae sapientiae prosequenti. „Sciendum est enim, quod auctoritas ecclesiastica (cui revelatio divina est tradita) in omnibus magis est imitanda, quam ratio, quia auctoritas semper est obedientiae et humilitatis, ratio vero nonnunquam praesumptionis [2])," praecipui erroris fontis. Auctoritatis enim ecclesiasticae, qui in speculationibus suis sequitur vestigia, inoffenso incedit pede neque a veritatis via deflectit, qui vero suae infirmae ac debili rationi confisus veritatem prosequi praesumit, omniaque se penetrare posse ingenii acumine confidit, celerrime in erroris laqueos incidit. Quod quum Hugo luce clarius perspexisset, temperanter et modeste et humiliter melius esse existimavit, „non eloqui magna (ubi sine periculo non erratur), quam definire contraria, (sc. auctoritati ecclesiasticae) cujus quidem erat, ubi fieri posset, „auctoritatis vestigia sequi," ubi vero certa deesset auctoritas, „his potissimum assentire, qui maxime auctoritatibus accederent et non de sensu suo praesumentes scripturas ex pietate interpretarentur [3])," quod non solum verbis promisit, sed opere complevit, non ubique vel temere veterum vestigia premendo, sed pro ingenio suo ad unum veritatis corpus, in quo singula membra singulis fungerentur officiis, quaestiones effingendo.

[1]) cf. De sapientia animae Christi, t. II. p. 849. Migne.
[2]) Erudit. didasc. l. IV., c. 14. [3]) Summa sententiarum, prolog.

Atque haec „reverentia secretorum" ex rationis cognita infirmitate et debilitate in mysteriis religionis christianae pertractandis orta, ipsum a vitiis non solum istius, sed omnium aetate usitatis arcuit, sed etiam effecit, ut subtilissimas et inutilissimas, quae tunc ferebantur, quaestiones, vel silentio praetermitteret vel verbis increparet, quum „aequalis esse stultitiae censeret, praesumere in iis, quae non possent sciri, et deficere in iis, quae non deberent ignorari." „Quanto enim difficilius est scire, tanto minus est periculosum ignorare." Neque enim ingenium approbari censet, „si in iis, quae difficilia sunt, pertinaciter insistit, sed potius, quae scienda sunt, prudenter discernit." Propterea, quantum sanae fidei satis est, ut cognoscere quaeramus, monet, et ut ea, quae curiositas sola scrutari suadet, desistamus investigare," hortatur [1]). Pro naturae enim indole abhorret ab inanibus superborum disputationibus, qui „secum natam atque secum morituram esse sapientiam" existimant et cordis sui somnia magis, quam veritatem sequuntur. Non enim delectare cupit sagacitate mentis et ingenii audacia nova et inaudita in medium proferente, sed prodesse prae primis, quod si quaestionibus disceptari solitis assequi desperat, „arcana Dei veneranda potius ac timenda, quam discutienda esse [2])" constanter et devote affirmat.

Hoc vero virtutis ac veritatis insigne studium omnes ejus prae se ferunt libri, unde potissimum legentis animum devincire videntur vinculo grato et amoeno, quamquam interdum imperfectionis quandam speciem exhibent (de vita enim decessit aetate florens), ut non solum erudiant, sed charitatis ardore animas inflamment, quibus ita semetipsum infudit, ut, quamvis historia perpauca de ipso tradat, ejus imago ex ipsis emergat et omnibus arrideat, quod omnes aeque, qui ipsum legerint, libere profitentur. Quae quidem res, ni amore erga ipsum decipimur, prae primis fuit causa, quod, quamvis erroris cujusque gravis exstitit adversarius, nemo teste historia inimicitia in ipsum efflagraverit, quin etiam insignis laudis et amoris tum erga vivum tum erga mortuum plurima exstent documenta.

---

1) cf. De sacram. l. I. p. VI. c. 3.

2) De sacram. l. I. p. VIII. c. 6. et p. XIV. c. 1.

Vratislaviae, Typis Roberti Nischkowsky.